Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars I.
Wien, 1793 Seite 1043
Quelle:
Copyright:

Parte *ſecunda* de *Cruce* multa praeclare congerit ad diſtinguendam *Orationem* et *Adorationem*, quo loco etiam doctrinam graecam *Romae*, ut eſt in *Vita* a *Tritbemio* ſcripta, hauſtam a *Theophilo Epheſio* comprobat, dum *proſeuchen*, προσευχην et *proſchinuſin* προσκυνησιν ſignificatu differre exemplis biblicis oſtendit, atque adeo concludit: *Hoc et nobis credamus eſſe faciendum. ut proſternamur uidelicet ante crucem. et eum qui in ea pependit. interioribus oculis intuentes adoremus. Sic et crux quę ſine dubio ſancta eſt. et competentem ſibi habebit honorem. et deus in quo. et a quo. et per quem. ut beatus auguſtinus ait. ſancta ſunt. quę ſancta ſunt omnia. in eo quod ipſe ſanctificauit. uenerabiliter adoratur.*

XX. *fol.* 110. p. 2. Epiſtola, cujus inſcriptio: *Domino beatiſſimo et uere apoſtolico. uerae et eternę ſapientię amatori. ſanctæ uirdunenſis æcleſiæ ierarcho. digniſſime ab omnibus uenerando! R.* (abanus) *eius fidele mancipium. et minimus ſeruulorum eius ſeruulus. fideliſſimas orationes in chriſto et ſeruitium ſempiternum. Omnipotenti deo gratias refero* &c. Epiſtolam hanc intra an. 842—47. ſcriptam putem, dum Noſter abdicato Abbatis munere in *monte S. Petri* privatus ageret; Cum enim Epiſcopus *Virdun.* qui intra hos annos *Hilduinus* fuit, eum ad ſe invitaſſet, reſpondet: *Quod dixiſtis uelle uos me eſſe uobiſcum? me miſerum cui non contigit uos id uelle. dum adhuc calidus medullas ſanguis alebat. ſolideque ſuo ſtabant ſanguine* (robore?) *uires; Nunc longo ſenio putre corpus* (natus erat an. 776.) *et ſuccedentibus ſibimet morbis membra debilia. hoc exoptabile bonum mihi inuident.* Prolixe deinceps conſolatur Epiſcopum de temporum calamitatibus adductis etiam *Gregorii M.* et *Auguſtini* locis, juſſusque ſententiam expromere in ultimam partem Prophetiae *Ezechielis* de *gog* et *magog* aliisque gentibus, ita infit: *Primo dicendum. opinionem que innumeros tam in ueſtra. quam in noſtra regione peruaſit. friuolam eſſe. et nihil ueri in ſe habere. qua putatur deo odibilis gens hungrorum* (tum primum Germaniae innoteſcens) *eſſe gog et magog. cetereque gentes quę cum eis deſcribuntur* &c. Fuſe porro in contrarium diſſerit, et per *Gog* et *Magog* Haereſiarchas potius et eorum ſequaces intelligendos eſſe ſtatuit. Tum ad *Hungaros* rediens gentem quidem certe *Romanis* cognitam, ſed alio tunc nomine fuiſſe contendit. Itaque in praeſens nomen inquirit: *Referam quid audierim a maioribus cum primum execrandę huius gentis nomen apud nos auditum eſt. ſiue illud hiſtoria. ſiue ſit fabula.* Audiuit autem, fame immaniſſima olim omnem *Pannoniam Hiſtriam* et *Illyriam* invadente vulgus inutile a Principibus earum regionum ſedibus exactum intraſſe *meotides paludes*, ibique conſumptis imbellioribus, qui magis ſtrenui erant, venatu vitam toleraſſe pel-